SPECIMEN

PROVERBIORUM MEIDANII.

EX

VERSIONE POCOCKIANA

EDIDIT

HENRICUS ALBERTUS SCHULTENS.

LONDINI,
APUD JOANNEM RICHARDSON,
LUGD. BATAVORUM,
APUD JOANNEM LE MAIR,
MDCCLXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO REVERENDO, CLARISSIMO

THOMAE HUNT, S. T. P.

AEDIS CHRISTI CANONICO,

LINGUAE HEBREAE PROFESSORI REGIO,

ARABICAE PRAELECTORI LAUDIANO,

MAGNI POCOCKII

DIGNISSIMO SUCCESSORI,

HENRICUS ALBERTUS SCHULTENS,

QUEM PLURIMIS BENEVOLENTIAE ET
AMICITIAE SIGNIS AETERNUM
SIBI DEVINXIT;

UT PUBLICUM PERPETUAE OBSERVANTIAE
ET GRATI ANIMI
EXHIBEAT TESTIMONIUM,

HUNC LIBELLUM

LUBENS, MERITO, DAT, DICAT, DEDICAT.

Digitized by Google

Digitized by Google

L E C T U R I S

S. D.

H. A. S C H U L T E N S.

DUDUM eſt, ex quo *Meidanius* fama apud nos celebrari, et inter praecipuos Arabum Philologos coepit referri; quaeque ab *Erpenio*, *Golio*, *Pocockio*, *Reiſkio*, aliiſque paſſim ex ejus proverbiorum theſauro edita ſunt ſpecimina ingens totius operis deſiderium excitarunt.

Quae ad celeberrimi viri, (cujus integrum nomen fuit *Abu-l Fadl Ahmed Ebn Mohammed Ebn Ahmed Ebn Ibrahim Al Meidani Niſaburienſis*) notitiam literariam ab *Ebn Chalikane* commemorantur perpauca ſunt, et a *Pocockio* et *Herbeloto* jam occupata. Natum ſcil.

Digitized by Google

in ميدان vico quodam ſive hippodromo in نيسبور *Choraſanae* oppido: duorum librorum auctorem كتاب السامي في et كتاب الامثال السامي: mortuum tandem A. H. 518. His tam paucis ſcriptor, quem dixi, ejus biographiam abſolvit; nec mirum videri debet, ſi hominis ſibi tantum et Muſis viventis memoria, tum apud aequales, tum apud poſteros ſit obſcurior. Eſt tamen in bibliotheca Bodleiana inter 5 *Ebn Chalikanis* codices unus, qui in catalogo manuſcripto codicum Pocockianorum n. 337 notatur, ubi Poëtam quoque fuiſſe *Meidanium* dicitur, ejuſque poëſeos hoc exhibetur ſpecimen longe elegantiſſimum:

تنفّس صبح الشيب في ليل عارضي
فقلت عساه يكتفي بعذاري
فلما فشا عاتبته فاجابني
ايا هل تري صبحا بغير نهاري

Quum illuceſceret aurora canitiei in nocte genarum mearum (i. e. *quum prae canitie albeſ-*

Digitized by Google

ceret barba mea nigra). Dicebam: fortasse genis contenta erit: Postquam vero latius fusam increparem, respondit: Dic age, an unquam vidisti auroram sine subsequente pleno die?

Quod vero carmen meritone illi tribuatur, an secus, judicent peritiores. Me quidem unius codicis auctoritas non impedit, quo minus credam, totam hanc periodum loco non suo esse collocatam, et ad alium forsan pertinere.

Quidquid sit, aeternam sibi nominis famam comparavit eximio illo opere, quo ultra sex proverbiorum millia collegit, et illustravit, quodque optandum foret, ut, in literarum Orientalium incrementum, tandem aliquando ex bibliothecarum latebris excitatum cum erudito orbe communicaretur.

Quod enim omnes linguae inter se commune habent, ut, sine accurata proverbiorum scientia, ad intelligendos cujuscunque generis

Digitized by Google

auctores aegre perveniatur, id de Arabica potissimum confirmare audeo. Quantopere proverbiis, caeterisque acute dictis delectati fuerint Orientales, inter omnes satis constat. Nullam tamen gentem fuisse arbitror majori hac in parte cura occupatam, quam Arabes, quorum vividum et fervens ingenium ab omnibus rebus, ultra eas, quae ubivis erant obviae, non tantum paroemias ducebat, sed easdem, immensa linguae copia adjuti, variis modis exprimebant, elegantissimisque figuris pulcherrime exornabant; unde factum, ut infinitus fere sit illarum numerus, et tantus certe, quantum in alia quacunque lingua reperiri posse, haud facile crediderim.

Inter majora itaque, quae studiis Arabicis promovendis obstant, impedimenta, referendus omnino videtur defectus hujusmodi operis, quod, de proverbiis ex instituto agens, simul eorum originem et historiam exhibeat, illorumque

Digitized by Google

naturam et uſum paulo accuratius explicet. Quae enim ab *Erpenio* et *Golio* collecta fuerunt, egregia licet, (ut certe non poterant niſi talia a tantis viris proficiſci) pauca nimis ſunt, et quaſi guttae ex vaſto hoc oceano, quae ſiti reſtinguendae minime ſufficiunt.

Mirari equidem haud ſatis poſſum, in tanta harum literarum luce, et tanto ſubſidiorum undique congerendorum ſtudio, adhuc repertum eſſe neminem, qui has partes ſtrenue magis ſuſceperit, et unum alterumve ex paroemiographis, quorum centena ſunt in bibliothecis volumina, edendum ſibi ſumſerit. *Meidanium* inprimis, de cujus praeſtantia inter omnes convenit, quem literaturae Arabicae theſaurum omnes uno ore clamant, cui primae ab omnibus magno conſenſu deferuntur, tam diu abditum et neglectum latere, eo magis miror, quo praeſtantiores ſint, et ad levandum

Digitized by Google

laborem utiliores immortalis *Pocockii* curae, quas huic auctori impendit, quasque inter bibliothecae Bodleianae thesauros asservari, nemo est, qui ignoret.

Hoc ut evidentius quodammodo ostenderem, non inutile, neque ingratum me facturum existimavi, si ex ipso opere, quod in usus meos integrum descripsi, breve aliquod specimen exhiberem; sic enim liquido apparebit, quam rationem in instituto suo exsequendo secutus sit *Pocockius*, et judicare poterunt Viri Docti, quis harum chartarum in edendo *Meidanio* futurus sit usus: Licet enim fatendum sit, tales non esse, quae sine nova cura in lucem emitti possent, insigne tamen, ut modo dicere coepi, huic consilio adferrent subsidium; cum omnia non tantum proverbia, (paucis exceptis, de quorum, sive sensu, sive vera lectione fortasse non constaret) sed et illa passim ex Scholiis Latine sint reddita, quae

Digitized by Google

tum origini, tum usui illustrando inserviunt; vocum praeterea interpretationes cum *Gjeubarii*, *Phiruzabadii*, aliorumque Philologorum notis plerumque collatae; multa denique plurimis in locis e penu sua adjecta.

Eo quidem consilio *Pocockium* hoc opus suscepisse, ut integrum aliquando prelo mandaret, ex iis, quae, alterum iter in Orientem meditans, antequam ex patria discederet, initio libri adscripsit, satis patet *. Quin et postea, ubi domum fuerat reversus, tum ab ipso, tum ab ejus amicis (urgente inprimis *Castello*)

* In nomine S. S. et individuae Trinitatis, cui laus in omnem aeternitatem. Amen.

If it please God, that I return not, otherwise to dispose of this translation of Proverbs, I desire, that it may be put in the Archives of Corpus Christi College library; there, tho' very rude and imperfect, to be kept for some help of those, that study the Arabick language, hoping, that Mr. Thomas Geaves, or some other may at some time perfect this work for an edition.

Per me E. Pocock, April 10, 1637.

hac de re ſerio fuiſſe cogitatum, ita ut ſpecimina impreſſa, et ſubſcriptiones, ſi minus receptae, at promiſſae fuerint, in ejus biographia, Operibus Theologicis praefixa, memoratur. Quo autem facto conatus ejus interpellatus ſit dicere non habeo: Id tamen certum eſt, eam maturitatem negotium haud eſſe aſſecutum, ut, quam rudiore penicillo deſcripſerat, verſionem et interpretationem prelo parandam judicaret: Proprios tantum in uſus quaedam hic illic minus accurate reddita correxit; multa tamen, qua erat ſingulari modeſtia Vir incomparabilis, dubia reliquit, orta plerumque ex prava Codicis, quo utebatur, lectione, quemadmodum alios Codices ad manum habenti et conferenti facile mihi fuit deprehendere.

In deligendis proverbiis nullam certam rationem ſecutus, pauca tantum ex iis dedi, quae, inter perlegendum, mihi quidem, ſive venuſtate, ſive elegantia, ſive dictionis acumine ma-

xime commendarentur. Nihil in illis addidi, aut mutavi, ſed omnia, ut in autographo ſcripta inveni, qua potui fide, exhibui, quaeque de ſuo addiderat *Pocockius* Italicis, ut vocantur, characteribus diſtinguenda curavi.

Unicam tantum notam adjeci ad intelligendum difficilem Poëtae verſum omnino neceſſariam. Egregia conjectura a docto quodam amico mihi eſt ſuppeditata, cui, elegantiarum ſuarum vindici peritiſſimo, ut plurimum jam debent Orientales Muſae, ita enixe vovent et precantur, ut, quantum ſeveriora Legum ſtudia concedent, praeclare de illis mereri pergat.

Caeterum eo quidem propoſito volumen hoc deſcripſi, ut, ſi vitam vireſque largiatur Summum Numen, fortaſſe de toto *Meidanii* opere edendo aliquando cogitem. In hoc tamen negotio, niſi temerariis auſis praeceps excidere velim, quam lente ſit feſtinandum, ipſemet probe

ſentio; Veriſſimum enim arbitror, quod alicubi ſcripſit Cl. *Reiſkius: Tale inſtitutum virum requirere Pocockio parem.* Ad quam vero laudem, quo difficilius pervenitur, eo majore ſtudio, opera, labore mihi erit contendendum.

Reſtat, ut Reverendo Vice Cancellario, caeteriſque digniſſimis Bibliothecae Bodlejanae curatoribus debitas agam gratias, quorum benevolentia non tantum ad hunc, ſed ad omnes, quos verſare cupiebam, Codices liberrimus mihi patuit aditus; cujus inſignis favoris atque indulgentiae memorem me, dum vita manebit, praeſtabo.

Scribebam Oxonii A. D. 10 Aprilis 1773.

E R R A T A.

P. 15. l. 5. ان الم lege الا لم

P. 20. l. 2. a fine, ζελωνῶν lege τελωνῶν.

SPECIMEN PROVERBIORUM

EX

MEIDANIO.

I.

ان من البيان لسحرا

Suas habet eloquentia praeſtigias.

Uſurpatur adagium في استحسان المنطق و ايراد الحجة البالغة cum cujuſpiam facundiam miraris, quod rem eximiis verbis ornat et probat. *Refertur ejus origo a Niſaburienſi ad Mohammedem, hac ſcil. occaſione.* Cum conveniſſent eum aliquando Amrus Ebn' Ol Athem, Zebrakamus Ebn Bedri, et Kis Ebn Aaſem, interrogavit Mohammed Amrum de Zebrakamo, qualis

vir esset: Respondit Amrus, eum esse مطاع في ادانيه شديد العارضة مانع لما ورا ظهره Quo elogio minime contentus Zebrakamus, Plura, inquit, et meliora, ô Mohammed, iste de me novit, quae tamen prae invidia suppressit. Quibus concitatus Amrus subjunxit: Imo, scil. quod sit نزير المروة ضيق العطن احمق الوالد لييم الخال Exiguae humanitatis, cui sint stabula angusta, patre stolido, avunculis sordidis, Ego autem, ô Mohammed, neque in primis mentitus sum, et certe in ultimis hisce verum dixi; sed ego is sum, qui placatus optimum eorum, quae novi, dico, ad iram autem provocatus pessimum eorum, quae inveni, refero: *Qua inopinata verborum translatione, a laude scil. ad vituperium, captus Mohammed dixit:* ان من البيان etc. *Refert hoc proverbium auctor Kamusi,* (v. سحر) *quo fere modo etiam ab Ebn' Ol Athir libro Al Nehayah explicatur, qui tamen diversi etiam sensus meminit, quo in eloquentiae vituperium detorqueri possit, utpote qua, non minusquam praestigiis, interdum peccetur, dum falsum veri specie induit. Verba ejus haec sunt:* قيل معناه ان من البيان ما يكتسب به من الاثم ما يكتسبه الساحر بسحره

II.

ان البغاث بارضنا يستنسر

Utique البغاث in regione noſtra (apud nos) aquilae evadunt.

البغاث *Avis eſt, inquit Gjeubarius, ſubfuſci coloris, minor quam* الرخمة *(quae avis eſt milvi magnitudine, corpore ſubalbo, alis nigris, capite implumi) volatu tarda. Volunt aliqui,* بغاث *Singul. eſſe numeri, ejuſque Plur.* بغثان. *Alii, de utroque ſexu in Singul. dici* بغاثة, *in Plur.* بغاث. *Al-Pherao* البغاث الطير *ſunt* شرارها وما لا يصيد منها *Viliſſimae et pigerrimae avium praedando ineptae.* استنسر autem eſt صار كالنسر في القوة Aquilae vim in praedando conſecuta eſt avis, poſtquam ex imbecillioribus volucrum fuerit. Applicatur proverbium illi, qui, cum imbecillis antea fuerit, vires adipiſcitur, et vili, qui potentiam poſtea conſequitur. *Ita Niſabur. nihil aliud adjiciens; cujus ſententiae acquieſcerem, ſi ſimpliciter diceretur,* ان البغاث قد استنسر *At jam, quid vult illud* بارضنا, *non ubique ita fieri indigitans? Adde igitur ulterius auctoris Kamuſi, et Gjeubarii, doctiſſimorum Grammaticorum, explicationem:*

من جاورنا عز بنا *i. e.* ان البغاث بارضنا يستنسر *Qui nobis vicini sunt, sive inter nos degunt potentiam et robur a nobis consequuntur; Quasi aliquis gentis suae potentiam et virtutem praedicans eo usque illam pertingere dicat, ut, qui alias infimi et infirmissimi hominum essent, dum eorum vicinitate et protectione gaudent, non solum metum deponant, sed cornua sumant et fortes etiam ipsi evadant. Aliter etiam ab Haririo Enarr.* vi. *applicatur, ubi praeses consessus personatum istum Abu Zeid magna de se pollicentem et eloquentiam suam jactantem sic alloquitur:* يا هذا ان البغاث بارضنا لا يستنسر والتمييز عندنا بين الغضة و القضة متيسّر *i. e. Noli majora, quam praestare vales, jactare; neque enim nos facile fictis verbis decipies; siquidem apud nos aves istae pigrae et imbecilles non pro aquilis reputantur; non sumus nos, qui immerito quempiam suspiciamus, et majorem, quam revera sit, credamus. Nobis distinctio inter argentum et calculos nitentes facilis est, et, qualis quis, et cujus monetae sit, vere dijudicare novimus. Non erit, qui alibi* بغاث, *nobis aquila.*

III.

ان من لا يعرف الوحي احمق

Utique qui nutum non intelligit, ſtultus eſt. (Verbum ſapienti.)

E, neſcio quo, Poeta,

اشاراتنا في الحب رمز عيوننا
وكل لبيب بالاشارات يفهم
حواجبنا تقضي الحوايج بيننا
نحن سكوت و الهوي يتكلم

Indices noſtri in amore ſunt oculorum nictus,
Et prudens quiſquam ſigna intelligit:
Palpebrae noſtrae negotia inter nos tranſigunt,
Nos ſilemus, amor vero loquitur.

IV.

اذا ترضيت اخاك فلا اخا لك

Ubi cum difficultate placaveris amicum tuum, non eſt tibi amicus.

Accipe ad illuſtrandam ſignificationem τῦ رضي quod affert auctor Lexici محكم ad h. v.

اذا العجوز غضبت فطلق
و لا ترضاها و لا تملق

Ubi (uxor) vetula irata fuerit, dimitte eam; Neque labores de ea placanda, nec blandiaris illi.

V.

اذا كنت في قوم فاحلب في انايهم

Cum fueris apud populum aliquem, mulge in mulctralibus eorum.

Praecipit consensum cum iis, inter quos degis. Consonum illud, e, nescio quo, Poeta:

اذا كنت في قوم عدي لست منهم
فكل ما علفت من خبيث وطيّب

Quando fueris inter populum alienum, e quibus non es, ede illud, quocunque cibatus fueris, sive malum sit, sive bonum.

VI.

اول الغزو اخرق

Primum belli stultissimum.

Ex sententia Abi Obeid usurpatur in paucitate sive defectu experientiae. Consonat illud Poetae:

الحرب اول ما تكون فتية
تسعي بزينتها لكل جهول
حتي اذا شُعِرتْ و شب ضرامها
عادت عجوزا غير ذات حليل

Bellum cum primum juvencula fuerit, oſtentat ornatum ſuum omnibus ſtultis,
Donec, cum notum fuerit, et increverit flamma ejus, tranſeat inſtar vetulae nullum habentis amaſium.

Attribuit bello ſtultitiam ſive inſcitiam, quae proprie hominum eſt belli rudium; quomodo etiam dicitur: ليل نايم quoniam in ea dormiunt homines.—*Dulce bellum inexpertis.*

VII.

بينهم عطر منشم

Inter eos eſt unguentum τῆς منشم

منشم nomen eſt mulieris, quae unguenta et aromata vendebat; cum tribus خزاعة et جرهم bello ſe pararent, hujus unguento manus tingentes jurabant, ſe non redituros niſi caeſis inimicis, aut ut ipſi morerentur, atque ita ad bellum truculentum ſe obſtringebant.

Cf. Kam. in نشم—Dicitur de malo aliquo grandi, ſive cum incaluerit rixa.

VIII.

بقل شهر و شوك دهر

Olus menſis et ſpina ſaeculi.

Dicitur de eo, à quo quod venit boni breve admodum eſt, malum vero diuturnum et permanens.

IX.

بعت جاري و لم ابع داري

Vendidi vicinum meum, non domum meam.

i. e. Non diſplicuit mihi domus, ſi placuiſſet vicinus. Interrogatus الصقعب بن عمرو النهري, Quiſnam inter morbos eſſet graviſſimus, reſpondit جار السؤ Vicinus malus الذي ان قاولته بهتك و ان غبت عنه سبعك

X.

بعض القتل احيي للجميع

Aliqua caedes vitam melius omnibus conſervat.

Puta, cum facinorosi aliqui morti et vindictae traduntur. *Forsan alludit ad istum Arabum morem, quo, cum aliquis e tribu, qui alterius tribus quendam occidisset, ab ejus amicis ad vindictam posceretur, a suis autem negaretur, diuturna saepe et cruenta bella ob id fierent, quae ejus solius morte redimi potuissent.* Huic affine est: القتل انغي للقتل et in Alcorano: ولكم في القصاص حياة

XI.

البطنة تافن الغطنة

Impletio ventris exsuxit ingenium.

De eo, cui divitiarum accessio intellectum imminuit et corrupit.

XII.

ابرد ممن يستعمل النحو في الحساب

Frigidior eo, qui Grammatica utitur inter computandum.

Puto illum intelligi, qui putide in singulis minutiis praecepta Grammatica observat, ut dicat E. G. Chamsòn, Sittòn, etc. cum Arabes vulgo Tanwin negligant.

XIII.

تركته في وحش اصمت

Reliqui eum in deserto silentii.

Et اصمت ببلدة et اصمتة in regione silentii. i. e. In deserto inculto, *seu, ut addit Kam. ut, ubi sit, non sciatur*. Dicitur de eo, qui solitarius, et sine adjutore est.

XIV.

اتّخذ الليل جملا

Noctem pro camelo accepit.

Dicitur de eo, qui noctu aliquid peregerit, oraverit puta, vel legerit, vel simile quid fecerit.—*Harir. Enar.* xxix. اتّخذ الليل قميصا

XV.

تلك ارض لا تقض بضعتها

In ista terra frusto non adhaeret pulvis.

Frusto scil. carnis, quod in ea decidat non adhaerebit pulvis, aut lapilli, prae herbarum copia. Dicitur de locis fertilibus.

XVI.

تضرع الي الطبيب قبل ان تمرض

Supplica medico, antequam aegrotes.

i. e. Amicos tibi devinci, antequam illis opus habeas.

XVII.

تدريع حطّان لنا انذار

Tinctura Hattani nobis indicium eſt.

التدريع ait Niſab. erat, cum captivorum, quos interficere ſtatuerant, brachia croco tingerent. Dicitur, quando quis in negotio aliquo ſerenitatem vultus prae ſe fert, et bona verba profert, aliud autem celat.

XVIII.

التجارب ليست لها نهاية وَ المرء منها في زيادة

Experientiae nullus eſt terminus, et homo, quod ad eam, ulterius pergit.

Dixit Omar: Homo ad pubertatem pervenit poſt 14 annos, ad ſtaturae terminum poſt 25, ad intellectus perfectionem poſt 27. Experientiae autem terminus non eſt.

XIX.

الثيّب عجالة الراكب

Prius nupta viaticum equitis eſt.

العجـالـة Viaticum, quod celeriter et ſine moleſtia paratur. Dicitur, referente Abu Obeid, ad monendum, ut contentus ſit quis re facili aliqua, cum praeſtantior haberi nequit.

XX.

ثأداء وجه شانه الترغيس

Ancillae faciem deterſerunt divitiae.

Hoc adagium ita explicat Niſabur. الـثـأداء ſcil. الامة ancillam, et الشوف eſſe الجلا, et الترغـيـس تكثير المال Et vult وجه ثـأدء ubi e converſo ait ثأداء وجه Quod ad uſum. Dicitur de eo, cujus originis turpitudinem tegit opum multitudo.

XXI.

ثمرة الجبن لا ربح و لا خسر

Fructus pavoris nec lucrum eſt nec damnum.

Sicut vulgo dicunt : التاجر الجبان لا يربح و لا يخسر Mercator pavidus nec lucratur nec perdit.

XXII.

ثبت لبده

Fixum maneat inſtratum ejus.

i. e. Continuet illi Deus malum. Exponit Niſab. hic لبد per لبد فرسه q. d. *Terrae fixus jaceat et non imponatur equo.* Atque ejus imprecationis vis eſt: Ne aſſequatur bonum. Quoniam Arabes equis inſilientes ex praeda hoſtium victum ſibi quaerebant.

XXIII.

اثقل من الزواقي

Gravior gallis.

i. e. Gallorum cantu; qui Arabibus ad colloquendum noctu convenire ſolitis, mane appropinquante eos diſcedere monens, gravis erat. *Vide Kam. in* زقي.

XXIV.

اثبت من وشم

Permanentior notis manibus inſcriptis.

Talibus ſcilicet, quales acubus manibus ſuis inſigengentes ſubinde adſperſo pulvere aut fumo aliquo colorant.

XXV.

جذل حكّاك

Truncus, ad quem ſe fricant.

Cameli ſcil. ſcabioſi. Dicitur de viro, a cujus conſilio et prudentia dependet populus.

XXVI.

جعجعة و لا اري طحنا

Strepitum molae, ſed non video farinam.

De eo, qui promittit, et non praeſtat. *Vide Kam. in* جع

XXVII.

جوع كلبك يتبعك

Famelicum tene canem tuum, ſequetur te.

Dixit hoc Rex quidam, qui tamen nimio cum rigore illud obſervans, a ſuis, quibus nullam praedae partem dividere vellet, interfectus eſt; quod videns Amer Ebn Giodaimah, qui illud ejus prolatum audierat, dixit: ربما اكل الكلب مؤدبه اذ الم ينل شبعه Saepe canis vorat educantem eum, quando non ſaturatur.

XXVIII.

اجسر من قاتل عقبه

Audacior eo, qui interfecit Akabah.

Iſte Akabah ab Abu Giafar in Bahrain, regionem inter mare Indicum et ſinum Perſicum, ad praefecturam miſſus populum, qui e tribu Rabiah fuerant, miſere vaſtavit. Deinde a praefectura depoſitus Bagdadum reverſus eſt; ubi eum adſtantem Regis portae videns Abdienſis quidam, qui in Meſopotamia, eo praefecto, fuerat, ejus ventrem cultro percuſſit: Deinde ad Regem tractus, et, quid eum ad hoc factum impuliſſet, rogatus, reſpondit: Quod populum meum vaſtaverit, ob quod vindictam de eo ſumere ſtatuens, ſaepe opportunitatem nactus ſum; ita tamen, ut ipſe ſolus eſſet: Jam primo

occasionem nactus, ubi populus ultionis meae testes essent, hoc peregi. Referunt quidam, cum adhuc dubia mors esset τῦ عقبة quod culter cingulo impeditus fuisset, eum coram Rege flevisse; ut autem de morte certus factus esset, risisse, et roganti ejus causam Regi respondisse, primo se metuisse, ne irritus fuisset conatus, jam autem gaudere, quod noverit se voto potitum in hoste ulciscendo.

XXIX.

اجمل من ذي العمامة

Pulchrior τῦ ذي العمامة

Ille est سعيد بن العاص ita dictus, quod nemo similis coloris fascia caput ligaret; cumque ambularet, non erat foemina, quin prodiret ad eum conspiciendum ob miram formae elegantiam. Illi filia fuit, quam hoc versu descripsit frater cuidam eam procanti:

فتاة ابوها ذو العمامة و ابنه اخوها فما اكفوها بكثير

i. e. Non multas habet pares. Volunt quidam, eum ita nominatum, quod princeps suorum esset, quoniam dicunt Arabes فلان معمم q. indigitantes, quidquid

adipiſcantur ejus tribus, capiti ipſius velut alligatum eſſe; *ad eum ſcil. pertinere.*

XXX.

اجود من هرم

Liberalior Haremo.

Hunc tamen ex ſententia Omari beneficentia ſuperavit Zohairus, qui eum carmine non perituro remuneravit ob opes, quas illi dederat, perituras.

XXXI.

حلب الدهر اشطره

Mulſit aevi utramque uberum ſeriem.

Metaphora ducta ab illo, quod dicitur شطر بناقة cum quis duas ejus mammillas mulſerit, omiſſis alteris, deinde alteras iſtas, omiſſis prioribus. Valet igitur: Experientiam omnimodam ſaeculi habuit, tum bonorum ejus tum malorum. *Vide Kam. in* شطر.

XXXII.

الحصن ادني لو تاتيته

Caſtitas facilior eſt, ſi eam intendas.

Dixit hoc mulier, quae filiam ſuam in equitantem pulverem conjicientem videns, quid faceret, rogavit; cui illa: Oſtendo ipſi, me caſtam eſſe, quae me contineo a petentibus me. Tum mater: الحصن ادني لو تاتيته من حثوك الترب علي الراكب neque opus eſſe, ut ita caſtitatis opinionem ſibi conciliare ſtudeat. Monet omittere illud, quod ſuſpicionem admixtam habeat, licet externa ſpecie bonum et pulchrum videatur.

XXXIII.

حتي متي يرمي بي الرجوان

Quam diu percutientur a me latera putei!

q. d. Huc illuc inſtar ſitulae impellar. *Explicat Niſab.* Quam diu repellar et elongabor, nec propinquus ſinar. *At ex Kam. patet, ſenſum eſſe, Quam diu illudetur mihi. Vide eum in* رجي.

XXXIV.

احول من ابي براقش

Verſipellior (mutabilior) quam ابو براقش

Avis, inquit Niſab. quae eodem die diverſos colores induit. Inde poeta,

كابي براقش كل يوم لونه يتحيل

Ejus cauſa percipi forſan poteſt ex eo, quod affert Kam. ſcil. ſummitatem pennarum ejus albam, medium rubrum, inferius nigrum eſſe, adeo ut, cum eas diverſimode moveat, colorem mutare videatur. Vide Harir. Enarr. xlix.

XXXV.

احلي من التوحيد

Dulcior quam Al Tauhid.

ſcil. Affirmatio Deum unum eſſe. Uſurpatur hoc prov. a Mutenabbio ſatis impie, in poëmate, cujus initium كم تنيل * *hoc verſu:*

* Vide *Reiſke* Proben der Arab. Dichtkunſt aus *Motanabbi*, pag. 23.

يترشفن من فمي رشفات هن فيه احلي من التوحيد

Licet ibi Sheich de dactylorum genere intelligi posse diceret, quod tamen non crediderim.

XXXVI.

حديث لو نقرته لطنّ

Sermo, quem si percusseris (q. digito ad probandum) tinniet.

Ita exposuit Sheich, et dici ait ad sermonis commendationem. Metaphora sumta a metallis purioribus, quae digito percussa tinniunt.

XXXVII.

خذ من جذع ما اعطاك

Accipe a Gjedaa, quod tibi dederit.

Vide Kam. in جذع. Ortum hinc, quod, cum rex quidam ad colligendum ab unoquoque tributum duorum aureorum quendam misisset, illeque ad Gjedaam venisset, ille gladio suo ζελωνlω percussit et interfecit, dicens, خذ etc. Monet, accipiendum ab avaro, quidquid dederit.

XXXVIII.

خل سبيل من وهي سقاوه و من هرق ماؤه بالفلاة

Desere viam ejus, cujus hydria decidit, et cujus aqua effusa est in deserto.

Ubi scil. illa opus est. Dicitur de eo, qui amicitiam tuam vilipendit, et te negligit.

XXXIX.

اختلط الخاثر بالزباد

Commistum est lac faeculentum cum spuma.

Dicitur, cum ceciderit populus in commixtionem et confusionem negotii. Eodem sensu dicitur: اختلط الليل بالتراب Commista est nox cum pulvere.

XL.

اخسر من حمالة الحطب

Magis frustrationi obnoxius, quam quae ligna portavit.

Illa erat ام جميل, de qua fit mentio in Alcorano, capite تبت يدا ابي لهب (cxi.) Solebat ligna et sen-

tes in viam Mohammedis adferre, ut illi hoc modo noceret. Dicunt alii, eam rumigerulam et susurronem fuisse, contentionum flammam accendere solitam, uti ignis appositis lignis accenditur; unde نميمة, delatio, dicitur حطب q. lignum et fomes contentionum, et dicitur فلان يحطب علي فلان, quando contra eum concitat homines.

XLI.

اخصب من صبيحة ليلة الظلمة

Magis fertilis (copia abundans) quam aurora post noctem tenebrosam.

Noctem quandam intelligit, qua procellae admodum violentae, nec alias visae Bagdadum infestarunt, tempore Mahdi, qui se ad precandum prostravit, quo earum vim averteret; et sequente die millies mille nummos in eleemosynas erogavit, centum captivos libertate donavit, et sumtus itineris ad peregrinationem Mecchanam centum viris dedit: Ita etiam fecerunt ejus nobiles, et concubina, sive uxor ejus, خيزران. Unde, cum ubertatem describere volunt, hoc proverbio utuntur.

XLII.

دقّك بالمنحاز حب القلقل

Comminuis granum قلقل in mortario.

Vide Kam. in قلل et نحز, et Gjeuh. in قلل. Dicitur, inquit Kam. ut moneat, inſtandum eſſe, ubi quid ab avaro petas. Sic et Niſab. Ratio, puto, adagii eſt, quam affert Gjeuh. quod granum illud difficillime nec ſine magno labore comminuatur ob duritiem ſuam: (licet non ſatis conveniant docti in exponendo, et aliqui legant فلغل) Hinc corrige errorem in iſto exemplari, quo uſus eſt Erpenius in Proverb. Arab. Cent. ii. *n.* 5.

XLIII.

ادعي الي طعانك من تدعو الي جفانك

Voca ad praelia tua, quem vocas ad patinas tuas.

i. e. Utere illo in negotiis tuis, in quem beneficia collocas.

XLIV.

دع عنك بنيات الطريق

Omitte filiolas viae.

i. e. Viam amplam tene, et calles minores inde egredientes ne ſequere. Senſus eſt: Praecipuam negotii partem cura, et omitte diverticula.

XLV.

دع عنك نهبا صيّح في حجراته

Omitte ablata praedando, quae abierunt in loca ſua.

Dicitur illi, e cujus facultatibus abiit aliquid, quo deinde praeſtantius quid amittit. Ortum e carmine Amri-lkais; Cum ſcil. Baath quidam camelos ejus praedatus eſſet, dixit vicinus ejus Chaled: Praebe mihi arma tua et camelos praeſtantes, ut illos ſequar, et res tuas reducam; eoque annuente abiit Chaled, cumque ad praedones veniſſet, dixit: Vicinum meum ſpoliaſtis. Negantibus illis, Cameli, inquit, ſimiles ſunt illis, qui mecum ſunt. Tum illi: Vere dicis, eumque deponentes camelos etiam illos abſtulerunt. Tum Amro-l kais

دع عنك نهبا صيح في حجراته و لكن حديثا ما
حديث الرواحل

i. e. Omitte loqui de camelis, quos abſtulit Baath, verum dic, quid illis factum ſit, cum quibus tu abiiſti.

XLVI.

ديكه يلقط الحب

Gallus ejus colligit grana.

Legitur et يلقط الحصي lapillos colligit. Dicitur de ſuſurrone, ſive delatore.

XLVII.

الدنيا قنطرة

Mundus pons eſt.

Quem ſcil. tranſeundum habent omnes.

XLVIII.

ذاك احدي الاحدين

Iſte eſt unus ex unis.

Et dicitur هذا احدي الاحد. Summae eſt commendationis forma. *Vid. et Kam. in* احد. Dicitur de eo, cujus ſumma eſt ſagacitas, nec cui in aſtutia par reperitur. *Homo perpaucorum hominum.*

XLIX.

الذيب خاليا اسد

Lupus, ſolus cum ſit, leo eſt.

Simile eſt, الذيخ في خلوته مثل الاسد. Dicitur de eo, qui, cum ſolus ſit, ſibi ea attribuit, quae praeſtare non valet, cum ab eo requirantur in publico.

L.

ذيبة معزي و ظليم في الخبر

Lupus (inter) hoedos et ſtruthiocamelus in ſermone.

i. e. Pravitate lupum refert, qui inter hoedos incidit, et in declaratione ſua eſt ut ſtruthiocamelus, qui, (ut eſt in Apologo) ſi volare jubeatur, dicit: Ego camelus ſum; ſi onus portare, reſpondet; Ego volucris ſum. Dicitur de fraudulento.

LI.

رماه باقحاف راسه

Jecit in eum cranium capitis ſui.

i. e. Silere eum fecit malo aliquo grandi, quod ſuper

eum adduxit. *Aut ſenſus eſt, inquit Auctor Kam.* رماه بنفسه ونطحه عما يحاوله *Ipſe illum percuſſit, et cornu petiit (i. e. avertit) ab eo, quod voluit: Ita ut* اقحاف راسه *ipſum hoc feciſſe ſua vi, non aliena, indigitet.* In Plur. poſuit اقحاف, *ait Niſab.* vel, ut denotet feciſſe hoc مرة بعد مرة, vel, ut omnia iſta oſſa comprehendat. Sed, quod ad cranium, لا يرميه به ما لم يزله عن موضعه وينزعه عنه Non poteſt illud in eum injicere, donec e loco ſuo avulſerit. Ita ut haec appellatio quaſi mortis ſit, i. e. Summum illi ſilentium impoſuit, ultra quod nihil eſt: ſcil. Interfecit eum.

LII.

ريحها جنوب

Ventus eorum auſtralis eſt.

Dicitur de duobus ſincero affectu ſe mutuo proſequentibus; contra, cum turbidus quaſi ſit eorum ſtatus, dicitur: شملت ريحها. Inde Poëta:

لعمري لئين ريح المودة اصبحت
شمالا لقد بدّلت وهي جنوب

LIII.

ارجلكم و العرفط

Pedibus veſtris cavete a ſpina عرفط

Dicitur illi, qui illudit alicui, qui eum viribus aut opibus etc. ſuperat. Or. proverbii haec eſt: Cum Amer Ebn ذهل, qui e fortiſſimis hominum fuerat, ſenuiſſet, deriſerunt eum juvenes quidam, cum equitaturum viderent. Ille igitur, Imo, inquit, jam infirmus factus ſum, adjuvate me, et jumento imponite: Appropinquantes autem, ut eum tollerent, arripuit, et duo brachiis tenens, duo inter femora, camelum celeriter abegit, ita illos firmiter tenens, dixitque, Heus nepotes! ارجلكم و عرفط ſcil. Levate pedes veſtros dum vos porto, ne noceant vobis ſpinae: Eoſque geſtavit, donec pene mortui eſſent.

LIV.

رب كلمة تقول لصاحبها دعني

Saepe verbum dicit domino ſuo: omitte me.

Inde ortum, quod cum quidam Regum Hamyar venatum exiiſſet, et ad rupem glabram veniſſet, quidam

ex Aulicis ejus diceret: Si hic interficeretur quis, quo flueret ſanguis ejus? Quod ut videret Rex, ſtatim ipſum interfici juſſit. Prohibet a multiloquio, prae metu damni.

LV.

رد الحجر من حيث جاك

Redde lapidem ad locum, unde venit.

i. e. Ne accipias injuriam et feri eum, qui te percuſſit.

LVI.

رماه الله بليلة لا اخت لها

Immittat in eum Deus noctem, cui ſoror non eſt.

i. e. Noctem, in qua moriatur.

LVII.

الازواج ثلثة

Mariti tres.

ſcil. زوج البهر maritus complacentiae, qui يبهر العيون بحسنه oculis placet pulchritudine ſua: زوج الدهر maritus temporis, qui يجعل عدة الدهر و

نوايبها ſumitur adjutorium contra tempus, et ejus accidentia: et زوج المهر maritus dotis, ليس منه الا المهر يوخذ منه a quo non exſpectatur aliquid, niſi dos, quae ab illo accipitur.

LVIII.

سرت الينا شبادعهم

Noctu venerunt ad nos ſcorpii eorum.

Comparatur ſcorpioni lingua, quod ea pungantur homines. Senſus ergo eſt: Pervenit ad nos malum eorum, quo nos affecerunt. *Kam. inter caetera* شبدع *ſignificare ait, linguam.*

LIX.

سحاب نؤ ماوه حميم

Nubes ſtellae pluvioſae, cujus aqua calida eſt.

De eo, cui lingua et locutio elegans, nihil autem praeterea boni eſt.

LX.

ساجل فلان فلانا

Contendit talis cum tali gloria.

Vis vocis inde translata est, cum unus tot situlas aquae hauriat, quot alter; unde in formam loquendi proverbialem abiit للمفاخرة و المساماة.

LXI.

سقوا بكاس حلاق

Potati sunt poculo mortis.

i. e. Morte penitus abscissi sunt. Inde translata in voce حلاق mortis significatione, quod vivos abscindat mors, ut rasura capillos aufert.

LXII.

السعر تحت المنجل

Pretium rerum sub falce est.

scil. Secundum messem, quae falce desecatur, annonae caritas aut vilitas erit.

LXIII.

سوقنا سوق الجنّة

Forum nostrum forum est paradisi.

scil. In paradiso nullus exercetur mercatus. Denotatur emptionis et venditionis paucitas.

LXIV.

شر ايام الديك يوم تغسل رجلاه

Peſſimus e diebus galli eſt ille, quo lavantur pedes ejus.

ſcil. Quia non fit illud, niſi cum interficitur et ad coquendum paratur. Dixit Ali Ebn Al Hoſan الباخرزي in carmine quodam, quo de populo ſuo queritur:

ولا ابالي باذلال خصصت به فيهم و منهم و ان خصّوا باعزاز
رجل الدجاجة لا من عزها غسلت و لا من الذل خيطت مقلة البازي

Non curo contemtum, quem invenio inter eos et ab iis, licet in honore ſint;
Pes gallinae non lavatur, quod honoriſice habeatur, nec ob contemtum conſuitur oculus accipitris *.

* *Poëta* fortaſſe *ſemet ipſum* comparat *accipitri*, forti et ingenioſae avi, cui nulli fraudi eſt oculos clauſos habere, uſque dum dimittatur ad praedam capiendum. *Illos* vero *qui eum deſpiciunt*, quod majore in honore ſint, *gallinae*, imbecilli et timidae avi, nec unquam minus honoratae, quam cum jugulatae et mox aſſandae ſive coquendae pedes lavantur. Ita ut ſenſus huc potiſſimum videatur redire: *Accipitri maximum ignominiae ſignum, oculorum caecutionem, nulli eſſe dedecori; neque Gallinae maximum honoris in Oriente ſignum, pediluvium, ulli decori, etc.*

LXV.

شر الناس من ملحه علي ركبته

Pessimus est hominum, cujus pinguedo super genua est.

Dicitur, *inquit Nisab.* de moroso; item de fraudulento. Vocant Arabes adipem ملح ob albedinem scil. et املحت القدر cum ollae pinguedinem imposueris: hinc Poëta,

لا تلمّها انها من نسوة ملحها موضوعة علي الركب

Ne reprehendas eam, quod sit e mulieribus, quae pinguedinem super genua positam habent.

i. e. Quarum cura est butyrum et adeps. Denotatur itaque prov. Pessimum esse hominum, cui non est intellectus, qui eum ad laudabile quid incitet, sed ad levitatem et indolem muliebrem, quae est amor butyri etc. —*Ita Nisab. sed potius credo,* ملح *hic reddi debere sal, et esse, ut vulgo dicunt, Portat salem suum super* ذيله *fimbriam suam, i. e. cito illum, cum a te surgit, excutit, et beneficiorum tuorum obliviscitur.*

LXVI.

شهر ثري و شهر تري و شهر مرعي

Menſis humidus, menſis quem aſpicias, et menſis paſtus.

Ita menſes veris depingunt, cujus primo contingunt pluviae, ſecundo germinant herbae, quas aſpicias, tertio in altum creſcunt, ut paſcantur iis greges.

LXVII.

شر مرغوب اليه فصيل ريان

Peſſimus eorum, a quibus aliquid petas, eſt pullus ſatur.

Dicitur de divite, ad quem fruſtra confugit pauper. Hinc ortum, quod camela vix lac demittat, niſi admoto pullo; cum vero pullus ſatur ſit, ad eam non accedit, atque ita domini ejus ſine lacte manent.

LXVIII.

الشمس ارحم بنا

Sol nobis maxime propitius eſt.

Huc alludens Poëta,

اذا حضر الشتا فانت شمس وان حضر الصيف
فانت ظل

LXIX.

صدقتني سن بكره

Vere mihi indicavit aetatem pulli cameli ſui.

Inde ortum, quod, cum quis camelum a quodam empturus ejus aetatem ſciſcitaretur, ille novennem eſſe reſpondit; Fugit interea camelus, quem ſecutus dominus هدع هدع clamavit, quae vox eſt, qua juvenes ſolum camelos ſiſtere ſolent: Tum ille, qui cum eo de pretio locutus fuerat صدقني etc. inquit, clamando ſcil. هدع—*Vide Kam. in* بكر *Uſurpatur ab Harir. Enarr.* viii.

LXX.

صمّت حصاه بدمّ

Surdus factus eſt lapis ſanguine.

i. e. Tantum ſanguinis effuſum eſt ſuper terram, ut, ſi decidat lapis, non audiatur ſonus ejus. Deſcribitur itaque caedis et effuſi ſanguinis copia.

LXXI.

صدرك اوسع لسرك

Pectus tuum maxime amplum eſt ſecreto tuo.

Monet ſecretum ſuum celare. Dicunt من طلب لسره موضعا افشاه Qui ſecreto ſuo locum quaeſiverit (ſcil. apud alium) divulgavit illud. Dictum eſt Arabi: Quomodo ſecretum meum celas? reſpondit, انا لحده Ego ſepulchrum ejus ſum.

LXXII.

صقر يلوذ حمامه بالعوسج

Accipiter, cujus columbae confugiunt ad rubos.

Dicitur de viro, qui timetur. Τῷ عوسج hic mentionem facit, quod arbuſtum ſit ramis maxime implicitis, ad quod ſe recipiunt aviculae prae metu avium rapacium. *Puto igitur, talem deſcribi, a quo prae metu fugiant hoſtes, licet Sheich talem voluerit, cujus aſſeclae ſub ejus protectione adeo tuti ſunt, ac columbae, cum ad* عوسج *confugerint.*

LXXIII.

صاحت عصافير بطنه

Clamarunt aviculae ventris ejus.

ſcil. Viſcera ſonitum ediderunt prae fame. Dicitur de eſuriente.

LXXIV.

ضربك بالغطيس خير من المطرقة

Ut pulſeris malleo grandi melius eſt, quam ut pulſeris malleolo.

i. e. Cum depreſſerit et ſubegerit te homo, melius eſt, ſi ſit te major.

LXXV.

طارت عصافير راسه

Avolarunt aviculae capitis ejus.

Dicitur de eo, qui pavore conſternatus eſt: i. e. quaſi prius inſediſſent capiti ejus aviculae, dum quieſceret, quae vero, dum timore turbaretur, fugiſſent.

LXXVI.

اطلق يداك تنفعك

Solve manus tuas, proderunt tibi.

Scopus prov. eſt, ut incitet ad opes erogandas et lucrandam inde famam.

LXXVII.

طرف الفتي يخبر عن لسانه

Oculus viri indicium praebet de lingua ejus.

Et legitur: عن ضميره de eo, quod pectore clausum tenet. Dictum est cujusdam e sapientibus: لا شاهد علي غايب اعدل من طرف علي قلب Non est testis de absente veracior, quam oculus de corde.

LXXVIII.

الظبا علي البقر

Capreolas super vaccas.

scil. اخترت Elegi. البقر autem كناية عن النسا denominatio mulierum est. Hac formula solebant olim ante Muhammedis tempora uxores dimittere, cumque diceret quis الظبا علي البقر erat hoc dimissionis signum—Dicitur etiam, cum abscinditur, quae inter duo viros intercesserat, affinitas aut amicitia.

LXXIX.

ظفرك يكل عن حك مثلي

Unguis tuus obtusior est, quam ut mei similem scalpat.

Dicitur ei, qui tecum contendit, nec te viribus aequat.

LXXX.

ظل السلطان سريع الزوال

Umbra regis cito tranſit.

LXXXI.

عير بعير وزيادة عشرة

Dominus pro domino et inſuper decem nummi.

Paroemia incolis Syriae peculiaris, inde orta, quod, cum apud eos moreretur princeps, alter, qui ſuccederet augebat illis congiarium decem nummis. *Ita Niſab. et Abu Obeidah.*

LXXXII.

المعتذر اعيا بالقري

Apologia utens impotens eſt hoſpitibus excipiendis.

Laudant Arabes, cum quis hoſpitem prius convivio excipiat, deinde colloquio: Vituperant autem, cum eum primo colloquio et apologia et tuſſiendo, etc. excipit. Colloquium autem poſt convivium laudatur ut pars hoſpitalitatis.

LXXXIII.

عتر بها كل داء

Caper, in quo ſunt omnes morbi.

Jactatur in ſcatentem vitiis tam de hominibus quam de beſtiis. Dicit Al Pharazius للمعزي تسعة و تسعين داء و راعي السوء يوفيها ماية Capri morbis 99 obnoxii ſunt, quibus paſtor malus centeſimus accedit.

LXXXIV.

عادت القردان فما بال الحلم

Aſſueti ſunt redivii, et quid volunt حلم.

Num forſan vult: Sanguinem ſugere aſſueti ſunt majores, num et minores idem facient? الحلم *inquit Niſab.* genus rediviorum minus eſt. *Contra Al Damiri vult, genus eorum magis denotare, et tum ſenſus forſan erit: Si minores hoc mali fecerint, quid facient majores.*

LXXXV.

غبار العمل خير من زعفران العطلة

Pulvis laboris melior eſt, quam crocus otii.

LXXXVI.

غـل قـمـل

Lorum pediculoſum.

Dicitur de omni re, unde invenitur difficultas et moleſtia; peculiariter ita vocatur mulier moribus malis; inde tranſlata loquendi forma, quod captivos loro, cui ſupererant pili, vinciebant, quod, cum diu vinctus maneret, pediculos produceret. *Vide Gjeub. in* غـل, *et Harir. Enarr.* xliii.

LXXXVII.

فتل في ذروته

Fricuit gibbum ejus.

Vult, inquit Aſmajus, Decepit eum, donec a ſententia ſua abduxit; Inde tranſlata loquendi forma, quod cameli gibbum fricare ſoleant et illi blandiri, ut ita capiſtrum imponant.

LXXXVIII.

فرارة تسفهت فرارة

Agnus agnum ad ſaltandum movit.

Nisi forte legendum in loco posteriore قرارة *quia ejus in explicatione mentionem facit Nisab. et ait significare, oves. Affine dicit isti:* نــزو الغرار استجهل الغرار *quod apud Gjeuh. et Kam. in* نــز *occurrit.* Dicitur de grandiore, qui a minore ad stultitiam et levitatem movetur.

LXXXIX.

انسد من الجراد

Magis vastans, quam locusta.

Vulgo dicunt ثلثة خُلقوا للانصاد الغار العرب و الجراد *Ita mihi narravit Sheich.*

XC.

فيحي فياح

Dilatare praelium!

Ita, inquit Gjeuh. solebant olim Arabes dicere. *Puto, cum continuationem belli aut certaminis volebant; vel forsan volunt, bellum, ubi inceperit, crescere solere.*

XCI.

قيل للشحم اين تذهب قال اقوم المعوج

Dictum eſt pinguedini, Quo abis? Reſpondit: Ut erigam curvum.

Pinguedo ſcil. deformitates tegit. Dicitur de ſordido, qui dives evadit, et magni ab hominibus aeſtimatur.

XCII.

قد علقت دلوك دلو اخري

Adhaeſit ſitulae tuae ſitula alia.

Cum quis ſitulam ad aquam hauriendam demiſerit, deinde et alius ſitulam injiciat, quae priori adhaerens eum ab aqua haurienda impediat. Dicitur, cum rem aliquem petis, intervenit autem impediens.

XCIII.

قد وقع بينهم حرب داحس و الغبرآ

Accidit inter eos bellum داحس et الغبرآ.

i. e. Inciderunt in rixas diu permanentes. *Longam de hoc bello hiſtoriam refert Niſab. Cf. Gjeuh. et Kam. in*

نحس. *Notatu dignum eſt, quod refert Niſab.* quod ſcil. cum, intercedente offenſa aliqua, vicinitatis jura cum quodam abrumpebant Arabes, illi ſpatium trium dierum concederent, quo ſe eripere poſſet; in quibus nefas erat illi malum inferre; elapſo triduo, non item.

XCIV.

اقود من ظلمة

Leno magis, quam tenebrae.

Quae ſcil. omnia tegunt, ut lenones facta ſua occultant, et clam homines ducunt. Dicitur etiam اقود من ليل, ex illo Poetae:

لا تلق الا بليل من تواصله
فالشمس نمامة والليل قواد

XCV.

اقرش من المجبرين

Magis congregantes quam المجبرين

Intelligit quatuor viros, qui opes mercatura congregarunt, et potentiae tribus Koraiſh auctores fuerunt. Dicti autem ſunt مجبرين quia جبر الله بهم قريشا

—Ubi in explicatione legitur خيلا *fcribi voluit Sheich* حبلا *quod fcil. funem ab iftis regibus in fignum foederis, et mercaturae liberae acceperint.*

XCVI.

قد عبر موسى البحر

Utique tranfiit Mofes mare.

Dicitur, cum quis valde ebrius fuerit.

XCVII.

كل مجر في الخلا يسرّ

Omnis curfus in deferto exhilarat.

Et legitur: كل مجر في الخلا مجيد Item كل مجر في الخلا سابق. Ortum a quodam, cui, cum folus in deferto equitare foleret, et fub ave volante, aut turbine facile curreret, adeo placuit equi fui celeritas, ut alios ad currendum depofito pignore provocaret; deinde victus hoc dixit.

XCVIII.

اكذب النفس اذا حدّثتها

Mentire animae tuae, quando cum ea collocutus fueris.

i. e. Ne dicas animae tuae, quod non poſſit aliquid praeſtare, quoniam illud te impediet. Inter praecipuos Arabum verſus recenſuit hoc Labidi carmen Baſharus interrogatus, quod carmen Arabum maxime poëticum eſſet:

واكذب النفس اذا حدّثتها
ان صدق النفس يزري بالامل

XCIX.

كان مثل الذبحة علي النحر

Fuit inſtar anginae in gutture.

Dicitur, cum a quopiam, quem amorem prae ſe ferentem pro amico habebas, deceptus fueris: i. e. Fuit inſtar iſtius morbi in gutture, qui exterius non ſeparatur ab eo, cui eſt, et ſecreto illi nocet.

C.

الكلام ذكر و الجواب انثي و لا بد من النتاج
عند الازدواج

Dictum mas est, et responsum foemina, et necessarius est partus, ubi fuerit maritatio.

CI.

اكبر من عجوز بني اسراييل

Aetate superans vetulam filiorum Israel.

Quæ vixit, aiunt, 210 annos, et semper, cum 70 annos transegisset, iterum juvenescere solebat. *Vocat eam Nisab.* سارح بنت بسير بن يعقوب *Quaenam illa?*

CII.

كان سندانا فصار مطرقة

Fuit incus et factus est malleus.

De humili, qui potens evasit.

CIII.

ليس هذا من كيسك

Non est hoc e crumena tua.

Dixit illud Amrus Jazido filio Moawiae, cum fepeliendo Moawia occupatum, gladio extracto, eum fe inaugurare coëgiffet: Significans fcil. commentum hoc a Moawia, non a Jazido profectum. Dicitur de eo, a quo videtur aliquid, cujus fieri non poteft, ut ille auctor fit—*Pro* كيسك *vero Sheich legendum fufpicatur* كيدك

CIV.

لا تحمد امة عام اشترابها و لا حرة عام بنابها

Ne laudes ancillam anno, quo emta eft, nec ingenuam anno, quo nupta eft.

Quia fcilicet tum fimulabunt, et bene fe gerent, licet non e natura earum fit. Dicitur ei, qui laudat aliquid, antequam illud probaverit.

CV.

لا يدري اي طرفيه اطول

Non novit, utra extremitatum fuarum longior fit.

i. e. Secundum Afmayum: Utrum patris ejus, an matris profapia nobilior. Alii aiunt, Medium hominis umbilicum effe, quo quod inferius eft dimidium

longius esse, ab omnibus fere sine ulteriore explicatione dignoscitur. Ebn Etabi ait: Extremitates duas esse ذكره و لسانه. Usurpatur ad negandum, aliquem quidquam scire.

CVI.

لا يايس نايم ان يغنها

Non desperet dormiens, quin praedam capiat.

Ita originem referunt: Quidam camelos suos agens virum dormientem invenit, cum quo vicinitatis pactum inire volens, Ego, inquit, vicinus tuus sum, ut te defendam contra omnes homines, praeter Amerum Ebn Giowani. Tum vir, Imo, inquit, et quis est Amer, vir ille singularis? Ipse autem erat; Qui ergo cum eo profectus, donec in medium populi sui veniret, camelos ejus abstulit, dixitque illi: Ego Amer sum, et vicinitatis jura tecum exercebo contra omnes, praeter meipsum. Tum vir iste: Non desperet, etc. quod in prov. abiit.

CVII.

لسان المرء من خدم الفواد

Lingua viri e famulis cordis ejus.

CVIII.

لو اتجرت في الاكفان ما مات احد

Si mercaturam exercerem in amiculis feralibus, non moreretur quiſquam.

De eo, cui nihil bene ſuccedit.

CIX.

لم يحرم من فصد له

Non negatur ei, cui praebetur ſanguis cameli.

Solebant ſcil. tempore duro ſanguine e cameli venis educto hoſpites cibare; et ita cum quis ſibi factum diceret, reſpondit ſocius ejus, لم يحرم etc. Jubet pauco contentum eſſe, *ut vult Niſab. Vel uſurpatur, cum quis parum ex eo, quod petiit, acceperit, ut auctor Kam.*

CX.

ما له جول و لا معقول

Non eſt illi جول nec intellectus.

Longius petitum videtur illud, quod affert Meid. de ſignificatione τῦ جول, *eſſe ſcil.* latus putei; *et* ما له جول *denotare:* Non eſt inſtar lateris putei firmi, cujus ruina non timeatur. *Simplicius puto reddendum,* Prudentiam; *ex eo, quod affert auctor Kam.* الجول *ſignificare* العقل والعزم *vide et Gjeuh. qui explicat: Non eſt illi intellectus, qui tucatur eum a lateribus putei. Senſus prov. (inquit Meid.) eſt:* Non eſt illi ſapientia aut intellectus, qui eum prohibeat ab iis, quae illi non conveniant.

CXI.

من يكن ابوه حذآ يجد نعلاه

Cujus pater calcearius fuerit, boni ſunt ejus calcei.

Dicitur de eo, cui auxiliatores fuerint, qui eum adjuverint.

CXII.

المكاثر كحاطب الليل

Multiplicans ſermonem eſt inſtar ligna noctu colligentis.

E dictis Acthami. Inquit Abu Obeid: Ita eum aſſimulavit, quia, ut ligna colligens incidat forte in ſerpentem, qui mordeat, aut ſcorpium, qui pungat, ita et qui verba multiplicat forſan illud loquatur, quod ſibi perniciem afferat. Dicit Poëta,

احفظ لسانك ايها الانسان لا يقتلنك انه ثعبان
كم في مقابر من قتيل لسانه كانت تخاف لقاة الاقران

Phraſis حاطب ليل *a Gjeuh. et Phiruzab. in* حطب *exponitur: Sine diſcretione loquens omnia cujuſcunque generis verba.*

CXIII.

من رق وجهه رق علمه

Cujus facies tenuis eſt, tenuis erit ſcientia.

Ita puto explicandum. Scil. Nimium pudibundus ſcientiam non acquiret; ſecundum illud in Pirke Aboth: Iracundus

non docebit nec pudibundus discet. Hoc et probavit Sheich prae sua expositione, quae fuit: Cujus vultus comis est et jucundus, ita erit et scientia ejus.

CXIV.

نفس عصام سوّدت عصاما

Ipse Essamus nobilem fecit Essamum.

Erat hic janitor Noomani Ebn-Il Mundhari, a quo sunt et alia dicta: كن عصاميا و لا et ما وراك عصام تكن عظاميا. Dicitur de fama, quam a majoribus non acceptam ipse sibi quis procurat, qualem virum vocant Arabes الخارجي scilicet انه خرج بنفسه عن غير اوليه كانت له. *Vide plura apud Meid. et Gjeuh. et Kam. in* عصام. *Apud Meid. refertur et aliud prov.* المقابر تصيّر العي خطيبا Sepulchra faciunt balbutientem disertum. *Puto vult, quod scilicet, qui de majoribus disertis glorietur, licet ipse linguae impeditae sit, sibi honorem tribuat, ac si ipse disertus esset.*

CXV.

اوفر فدا من الاشعث

Ampliori pretio redemtus, quam Ashath.

Qui ſe 3 camelorum millibus redemit, pretio Arabibus inaudito, cum ipſi Reges mille tantum camelis ſe redimere ſolerent.

CXVI.

هو قاتل الشتوات

Eſt ille hyemum interfector.

De eo, qui homines illo tempore paſcit et calefacit. Legitur etiam السنوات i. e. Annorum ſterilium— *Hyemes frangens: J. C. Scaliger de Anglia.*

CXVII.

ياكل بالغيل و يغتّص لبقّة

Edit Elephantem et ſuffocatur culice.

De eo, qui tenerae conſcientiae ſe eſſe fingit.

CXVIII.

يبني قصرا و يهدم مصرا

Aedificat palatium, et diruit civitatem.

De eo, cujus malum plus eſt quam bonum.

CXIX.

يحلب بني و اشد علي يديه

Mulget filiolus meus, at firmiter teneo ego manus ejus.

Arabum Bedawitarum mulieribus mulgere opprobrium eſt. Quaedam igitur, cum lacte opus haberet, nec adeſſet, qui illi vel ovem, vel camelum mulgeret, accepit filium ſuum, et manus ejus uberibus, manus autem ſuas ejus manibus imponens, hoc dixit. Dicitur de eo, qui aliquid facit, quod deinde ad alios refert.

CXX.

يطين عين الشمس

Luto oblinit oculum ſolis.

De eo, qui veritatem manifeſtam celat.

T A N T U M.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google